



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ  
Provinciæ Saxonæ S. Crucis**

**Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz**

**Nevhsii, 1706**

**VD18 10502327**

Titulus II. De Hebdomadario & Officiatore.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

In festo S. Joannis : *in suavissima dilectissimi Christi Discipuli B. Joannis Apostoli & Evangelistæ solemnitate, &c.*

In Dedicatione Ecclesiæ : *in celeberrima atque sanctissima templi nostri anniversaria Dedicationis solemnitate, &c.*

In festo Patroni vel Patronæ aptatur titulus conveniens illi qui est Patronus.

In primitiis : Dominica N. vel si sit festus dies ille nominatur, postea jungitur Frater N. *Omnipotenti Deo incruenti Sacrificij primitias oblaturus Divinum celebrabit Officium.* P. N. assistens, &c.

In festo S. Annæ : *in honorifica & suavi S. Annæ Matris B. V. Mariæ & Salvatoris nostri avia solemnitate, &c.*

Si in quibusdam aliis festis scribenda sit nova tabula, ex prædictis facile titulus conveniens adaptari potest, si Matutinum cantandum scribatur ut hæctenus consuetum.

## TITULUS II.

### *De Hebdomadario et Officiatore.*

1. **H**ebdomadarius sicut & reliqui omnes Officiantes officium suum incipit sabbato ad Vesperas, quod usque ad nonam inclusive sequentis sabbati exequitur. Ejus munus est, Horas Canonicas omnes, dato manu signo, eoque postquam secreto dictum PATER NOSTER, &c. repetito, incipere per Versus DOMINE LABIA, vel DEUS IN ADJUTORIUM, &c.

2. Dum cantatur Officium, primam Antiphonam in Matutino, Laudibus & Vesperis intonare : uti & Antiphonam ad cantica MAGNIFICAT, BENEDICTUS, NUNC DIMITTIS : si cantetur : exceptis Antiphonis majoribus ad MAGNIFICAT in Adventu, quæ dignioribus offerri solent.

3. Dat etiam in omni Officio absolutiones & benedictiones, excepta ultima benedictione Matutini cantati, quæ datur à digniori in choro

choro loco suo remanente, Officiator vero cantat lectionem ultimam. Recitat quoque Capitula & Orationes, &c. legit etiam Versiculos Commemorationum & Suffragiorum, dum Officium dicitur sine cantu. Item Versus & Collectas ad finales Antiphonas *B. Marie Virginis*, quando verò post Completorium cantantur, versus ad has, sicut & ad *CÆLORUM CANDOR, &c. VOS SANCTI, &c.* cantantur à Versiculario. Etiam ad salutationem *B. V.* post Completorium clara voce legit versus *ANGELUS DOMINI, &c.* & totum *AVE MARIA.* Choro respondente *SANCTA MARIA, &c.* Deinde subjungit Collectam.

4. Etiam est munus Hebdomadarii, per totam septimanam, nisi ob incidens festum sit alius Officiator scriptus, cantare summum Sacrum, populum diebus Dominicis aliisque dum consuetum est, aqua benedicta aspergere, mensam benedicere, & finita refectione gratias agere. Preces Capitulares, & Vesperis Litanias cum consuetis Versibus *ANGELUS DOMINI,* & orationibus legere. Absentibus *P. Guardiano & Vicario,* non Officiator, sed dignior Sacerdos dat benedictionem.

5. Hebdomadarius etsi propter impedimentum legitimum non cantaverit summum sacrum, tamen in aliis omnibus debet facere quæ sunt sui muneris. Si ob incidens festum alius sit scriptus Officiator, hic pro illa die facit omnia, quæ sunt Hebdomadarii.

6. Si Hebdomadarius sit absens, ille qui supplet in sacro, etiam illa die supplebit in aliis. Si scriptus in festivitibus v. g. *P. Guardianus* impediatur, quod nequeat interesse Vesperis aut aliis Horis, supplebit Pater Vicarius, idem est de aliis Officiantibus impeditis, qui tamen id ipsum tempestivè indicabunt, supplebunt illi qui in ordine dignitatis sequuntur. Hebdomadario, qui est scriptus per hebdomadam; & illo qui supplevit in Missa, absente: supplebit junior Sacerdos.

